



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 3. Modus confitendi

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

eam comparare studeas conscientiae teneritudinem & puritatem, quae commissos defectus statim sentiat, & fideliter memoriae suggerat. Deinde assuesces actum contritionis frequentare, & quotidianum examen sic instituere, ac si statim confiteri deberes. Proxima aliquot actus complectitur: nam primò gratiam efficacem petere debes omnia peccata agnoscendi, detestandi, & emendandi: tum in memoriam revocanda quaecunque ab ultima confessione commissa sunt: Demum de singulis actum doloris elicies cum firmo constantique proposito ab his deinceps abstinendi, & satisfaciendi. Quod si peccata leviora sint, quia omnia corrigere propter humanam fragilitatem difficile est, propones saltem & conaberis, quoties ad confessionem accedis, aliquod ex his deponere, in quod frequentius labi soles.

§. III. *Modus confitendi.*

QUandoquidem hujus sacramenti pars essentialis, eaque praecipua, est dolor & contritio ob admissa facinora, huic maximè insistes, praemissa brevi consideratione alicujus motivi ejusdem contritionis, qualia sunt 1. Gravitas peccatorum, quibus offenditur Deus, cujus bonitas infinita nec levissimè quidem laedenda foret, etiam ob salutē totius mundi. 2. Atrocissima damna, quae tam in ista quam in altera vita ex peccato oriuntur. 3. Inscrutabilitas judiciorum Dei saepe ingratos deserentis, tepidos evoventis. 4. Brevitas & incertitudo temporis gratiae, quo potest offensa Dei expiari. 5. Memoria aeternitatis, ejusque interminabilis durationis. 6. Inaestimabilis dignatio Dei, qui tanta passus est, ut te à peccatis liberaret. 7. Magnitudo beneficiorum tibi à Domino collatorum, pro quibus turpissimum est non te gratum benè vivendo exhibere. 8. Sublimitas aeterni praemii, & facilitas mediocrium ad illud acquirendum. 9. Infinita amabilitas Dei infinito obsequio propter se dignissimi, quia ipse est summum bonum, qui te amore incomprehensibili prosequitur.

Hęc motiva si attentè consideraveris, facilè poteris summam in te contritionem excitare. Sic autem dispositus ad pedes Confessarii accedes, quasi ad lavacrum sanguinis Jesu Christi, in quo te ab omnibus inquinamentis tuis dealbandum fore confides. Duos ibi sacerdotes adesse putabis, visibilem unum, alterum invisibilem, qui penetralia cordis intuetur. Ided humillimè quasi filius prodigus respiscens benedictionem petes, & gratiam benè confitendi, præmissaque generali confessione actum contritionis renovabis. Tum magna interiori & exteriori reverentia, quanta Judici solet à reo exhiberi, peccata tua sacerdoti, qui Christum Judicem repræsental, confiteberis nudè, sincerè, humiliter, non ex habitu & consuetudine, plorans coram Deo flagitia tua cum rubore & confusione. Dum verò sacerdos profert verba Absolutionis, iterū actū contritionis elicies, teque à Christo ceu filium prodigum osculo excipi, nova stola ornati, amplexu constringi putabis, additis ab eodem illis verbis, *Remissa sunt tibi peccata tua, jam amplius noli peccare.* Quare gratias ei ages dicens cum Propheta: *Nunc cœpi,* & incipies ab illa hora vitam sanctius instituere.

Post confessionem id quod impositum tibi fuerit pro satisfactione statim persolves, Deoque offeres in unione passionis Christi & satisfactionum omnium Sanctorum. Deinde examinabis an vera fuerit contritio elicita, an intima cordis penetraverit, an diligentem discussionem præmiseris, an culparum gravitatem agnoscas, an aliquid prætermiseris, an tibi ex ignavia ignoscas, an teipsum arguas, & ad serid pœnitendum impellas.

§. IV. *Oratio ante confessionem, & actus contritionis.*

AD te, Piissime Jesu, refugium meum & consolatio mea; ad te mœrens & tristis venio, recogitans tibi annos meos & delicta mea in amaritudine animæ meæ. Ad te verba doloris effando, misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri & parce-